
DE CHRISTI AD COELOS ASCENSV

Oratio inter Pontificia sacra sub CLEMENTE VIII. Pont. Max. ad Vaticanum Habita à Lælio Peregrino Ciuilis Philosophiæ in Romana Academia Professore. Anno M. D. XCII.

Necnon oratio altera de Sanctissima Trinitate, Dicta ab eodem apud SIXTVM V. *Pont. Max. Anno* M. D. LXXXIIX.





SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE,

Apud Ascanium, & Hieronymum Donangelos.

M. D. XCII.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. D.

CYNTHIO ALDOBRANDINO

CLEMENTIS VIII. P. M.

SORORIS FILIO,

Vtriusque Signaturæ Referendario,

LÆLIVS PEREGRINVS S. D.





ERIVS de CLEMENTIS VIII. *auunculi tui summo Pontificatu tibi gratulor, quia censebam eiusmodi officium nudis verbis non esse persoluendum. quod autem obseruantiæ in te meæ argumentum offerrem, nullum diu habui, donec oratio de Ascensu Domini in Basilica Vaticana nuper a me de more habita non paucis ad legendum expetita, &, vt eorum desiderio, nonnullorum etiam imperio, satisfieret, typis data, huius dissoluendi debiti præbuit occasionem. Cui aliam de Sanctissima Trinitate ad* SIXTVM V. *ante annos quattuor dictam adiunxi, vt vna alterius comitatu securior prodiret in publicum, & munus qualicumq. cresceret accessione. Equidem agnosco rei tenuitatem; noui eruditionem tuam variam, atque multiplicem; intelligo, quam solida ad amplissimos honores virtutibus ieceris fundamenta, quam magnis ad eos contendas itineribus, quid demum* CLEMENTIS VIII. *sororis filio in auunculi familiam ob egregias animi dotes adoptato debeatur. Sed vicit pudorem opinio humanitatis tuæ, & apud te vtcumque innotescendi studium, vt opellam istam non tam muneris, quam gratulationis, loco offerrem. quam si libenti acceperis animo, quod & futurum pro certo habeo, ad maiora, quæ nunc molior, in vulganda, tuoque nomini dicanda, reddideris promptiorem.*

DE CHRISTI AD CAELOS ASCENSV.


AXIME vellem, Patr. Amplifs. vt, quantum cæli clementia hoc verno tempore ijs, quæ à terra gignuntur, addit virium ad adolescendum, tantumdem Dei bonitas mihi de Christi ad cælos adscensu verba facturo præberet copiæ ad dicendum, & vna cum amplitudine rerum cresceret vis ingenij, atque vocalior factus Imperatorem nostrum deuictæ mortis, expugnati inferni, dæmonis principatu eiecti spoliis onustum, remeantem ad Patrem, grandi & ornata oratione celebrarem. Si enim mens erigenda, si vox altius tollenda vmquam fuit, hodie in primis cunctæ mentis, & vocis effundendæ vires, hodie Christi triumphus è terra ad cæli summa ductus lætis acclamationibus prosequendus, hodie rerum multo ante feliciter gestarum memoria grata commemoratione repetenda, quando beneficia, quæ mortalibus inde fluxere, perseuerant immortalia, nec diuturnitate senescunt, aut conuersione rerum corrumpuntur. *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exsultationis. Adscendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ.* cuius quidem admirandi adscensus initium, & per aeris ima progressum, ex historia sacra, vti gesta sunt, nouimus; reliquæ vero pompæ prospectũ circumfusa nubes abstulit, & quæ beata cæli agmina redeunti victori Regi officia præstiterint, quid paternos inter complexus actum fuerit, non nisi coniectura consequi licet. Ego de vtroque ita dicam, vt quæ Euangelistæ tradidere, pro indubitatis afferam, quæ vero pijs meditationibus adduntur, ita censeam accipienda quasi, Christi magnitudini, æterni patris erga Filium amori, cælestis demum familiæ in principem suum obsequio, conuenire existimentur. Neque enim quæcumque Diuinæ voluntatis internuntius ille, ac magni consilij administrator, ad hominum salutem perfecit, erant Apostolorum oculis subijcienda; nec adeo latus fidei campus relinqui videbatur, si, vti Christum è terra eleuatum & propriis in aere nitentem viribus aliquandiu conspexere, ita eundem, superatis nubibus sphæram ignis prætergressum, orbes omnes emensum, supra choros angelorum collocatum, vidissent. Sed, quoniam difficile suaderi poterat multis, corpus natura pronum ad infima cœlo inferendũ, aut voluptatem vllam in aliena, & à nobis remotissima sede percepturum, extrema ista Dominus ita composuit, vt ad tollendam perplexitatem sui ascensus initium spectandum præberet, progressum vero & aduentũ ad cælos, quæve consecuta sunt, ad fidei meritum occultaret. Iccirco *videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* vt enim sæpe nubes prospectum Solis auferunt, ita nubes illa sacro corpori prætenta Christum Sole splẽdidiorem discipulorũ oculis subtraxit. Neque vero huic mysterio singulare exstitit, vt partim cerneretur oculis, partim fidei committeretur, cum idipsum sæpe alias, ac præsertim in Christi resurrectione, fuerit custoditum. nemo quippe mortalibus oculis Christum reuiuiscentem, & è sepulchro emergentem adspexit, sed à mortuis excitatum & vitali fruentem aura multi viderunt, manibus attrectarũt, suntque familiariter allocuti. quapropter exordium resurrectionis, non fuit illud quidem aspectabile, sed finis oculorum experimento probatus est; con-

tra vero, aſcenſus initium ſpectari potuit, finis non potuit. *Nubes enim, & caligo in circuitu eius, & qui ponis nubem aſcenſum ſuum, atque ambulas ſupra pennas ventorum*, patrato redemptionis opere, diſſeminato per omnem Iudæam, ad quã miſſus fuerat, Euangelio, confirmatis diſcipulorum animis, omnibus ex ſententia confectis, diuturniorem ſui præſentiam hominibus haud neceſſariam ratus, ſacrum corpus, quod in vtero Virginis à Spiritu ſancto fuerat fabrefactum, Angelis exhibendum cenſuit, quando & illi magnopere cupiunt eius conſpectu frui, quem *omnis Eccleſiæ caput* agnoſcunt, in quo theſauros omnes ſapientiæ & ſcientiæ Dei reconditos intelligunt. Hos magno numero in terram deſcendiſſe, ac tractum omnem qui ad cæli extrema protenditur, compleuiſſe, crediderim. quo enim pacto Chriſti reditum non ſummo gaudio, & omnibus lætitiæ argumentis ornandum arbitrarentur, cuius per carnis aſſumptionem quaſi diſceſſum magnis fuerant obſequiis proſecuti? Si Chriſti aduentum atque ortum Angeli nuntiarunt, ſi ab Herode quæſitum ad necem ſeruandũ curarunt, ſi eſurienti miniſtrarunt, ſi pauentẽ in horto ſunt conſolati, ſi à mortuis excitati ſepulchrum & veſtes venerati ſunt, dicam amplius, ſi à Iudæis contumelia affectum, ſi à Pilato morte multatum ægerrime tulerunt, quomodo non eumdem, immortalem factum, deuictorum hoſtium manubias referentem, omni officio, & reuerentia exciperent? Ideo duos tantum albis amictos veſtibus Diſcipuli conſpexere, hodierni triũphi comites, cum nihilominus Chriſto, in lucem edito, confertiſsimi Angelorum chori paſtorum auribus ſacros hymnos concinuerint, quod ſatis conſtaret Domino victori, ac triumphatori innumeros ex beata illa multitudine ſpiritus præſto futuros, quos eiuſdem in hoc orbe peregrini, & viliſsimis inuoluti pannis incunabula ſummo ſtudio ingenti alacritate exornarat. Exſultabant itaque angeli, & frequentiſsimi laudes Imperatoris decantabant, gaudebant nouam eo die apertam in cælum viã, nullius vmquam ante impreſſam veſtigio, gratulabantur inuicem cæli ſedes expleri cœptas, quas triſtis Luciferi, & ſociorum caſus vacuas dimiſerat, amplexabantur nouam coloniam à Chriſto in cælum ductam, ſanctos inquam Patres Tartarorum faucibus ereptos, illas primitias hominum cælo dicatas, & Chriſti cicatrices inſtar Solis rutilantes tantorum fontes bonorum venerabundi intuebantur. Quæ vero inter Chriſtum ad dextram virtutis Dei locatum, & Patrem interceſſerint, quid vltro citroque actum, nec firme conijcere, nec pro dignitate efferre poſſum. Si quid tamen homini humi ſtrato de rebus altiſsimis meditari fas eſt, & ab iis, quæ apud nos geruntur, diuina ſecreta rimari, quando filius in mundum Patris nomine legatus venerat, eumdem in primo poſt reditum cum Patre congreſſu anteactæ legationis exiſtimo reddidiſſe rationem. qualis ea fuerit, quibus concepta ſententiis, non ſatis intelligo: nec diuinam mihi orationem ad imitandũ propono, verum, ſi verbis humano ſenſui accommodatis ea foret exprimenda, his ferme opinor non incõmode adumbratam. Pater, centeſimam ouem, quæ a reliquo grege aberrauerat, ingenti cura conquiſitam magno inuẽtam labore, humeris ſublatam reporto, & quoniam paſtorẽ huius à te conditi gregis me eſſe voluiſti, nihil omiſi, quod ad iniuncti oneris rationem pertineret. diſcruciatur Paſtor, vel ob vnã ouem amiſſam, & arrepta fiſtula e ſpelunca mærore calamos, vicina loca lamentatione implet, ouem illam quaſi ratione præditam ſono euocat, & querelis. Equidem angebar animo, quod homo ſolitudines ingreſſus vaſtiſsimas periiſ-

ſet. quamobrem ex antro mortalitatis carnem aſſumpſi, corpus cruciatibus, orbem vocibus, adhortationibus, lacrymis, eiulatibus, ſudore, ſanguine compleui, ſi quo modo amiſſam ouem à longo errore ad caulas reducere poſſem. eam tandem palantem, & ad maiora in dies præcipitia ruentem inueni, iiſdem quibus Crucis lignum humeris ſuſtuli, ad tui conſpectũ retuli. Ecce ouile vnum conſtitutum eſt, & vnus ouium Paſtor effectus. Mulier, amiſſa drachma, impatiens moræ, accendit lucernam, euertit domum, eaque recuperata vicinos ad gratulationem inuitat. Ego hominis animam, ad tui imaginem conditam, fœdis affectibus, quaſi terræ ſordibus obrutam, conquiſiturus, accendi lucernam carnis, mundũ euerti, Crucis ligno quaſi ſcopis à peccato repurgaui, drachmã inueni, quam nihilominus vt reciperem, magnos pertuli labores. Dæmonem ab antiqua leuitate ſtolide ferocem, pro drachmæ poſſeſsione mecum congredi auſum, vici, mortis imperium euerti, inferorum portas proſtraui, captiuos omnes tui ſignatos imagine eduxi, drachmam diuina forma inſculptam recepi, conuocentur Angeli, intelligentiæ merito & felicitatis communione hominibus vicini, & communicato gaudio, geminatis plauſibus, humanæ redẽptionis periodus celebretur. hi, quos mecum adduxi, æterna nobiſcum beatitudine fruantur; qui in ſeculi turbine remanſerunt, paracliti ſpiritus illapſu recreentur, & confirmentur, breui huc etiam aſſumẽdi. hic finis ſit myſteriorum, hic terminus laborum. Et quidem iſta periodus extitit humanæ redemptionis, & hoc nouæ Hieruſalem in cælo conditæ principium, qua omnia electorum corpora ſunt poſt nouiſsimum diem excipienda, animabus interim, prout à peccatorum noxa fuerint expiatæ, nulla interpoſita mora eodem conuolaturis. *Si enim Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus*. Si Chriſtus animo, & corpore in cælum conſcendit, & nos id ipſum aliquando conſequemur. præiuit enim parare nobis locum, vt ipſemet antea fuerat diſcipulis pollicitus. Ad cælum itaque incolendum nati, quid humo defixi hæremus? ad æternitatẽ cum Chriſto habendam facti, quid fluxis & caducis immoramur? cœleſtis Hieruſalem ciues futuri, quid ſupra flumina Babylonis ædificamus? ne magnũ cenſeas, quod fine concluditur, ne firmum exiſtimes, quod viciſsitudini ſubditur. Diuitiæ, maris atque terræ excrementa, (neque enim digniore eas nomine appellare poſſum) paulo magis eorum ſunt, a quibus poſsidentur, quam illorum, apud quos ne in expectatione quidem vmquam fuere, ſed perinde, ac puluis a turbine, ab aliis ad alios ſubinde ventilantur atque iactantur. Natalium ſplẽdor præclara quidem res eſt, ſed aliena, ſed à maioribus accepta, ſed plerumque inutilis, maxime cum vitio fœdatur. Gloria vt amabilis, ita inſtabilis. dilabitur vti fumus, & vmbræ inſtar contineri nequit. Pulchritudo acceptiſsima eſt mortalibus, ſed cito, quaſi flos a radice ſuccisus, languet, nec humanæ vitæ magno vſui aut emolumento exiſtit. Valetudo pretioſa, ſed corrũpitur facile, & ad ſummum perducta bonitatis grauiſsimis ſæpe morbis aditũ præbet. Robur laudandum, ſed vti belluis à natura largius tributum, quod vi ſenectute & ægritudine cõſumitur. Fallax demum omnis rerum ſublunarium proſperitas eumdẽ ſtatum ne breui quidẽ momento tuetur, ſed inſomnij more hominũ curas eludit. Suſpice cælum, eiuſq. immenſitatẽ, & ornatum, ad ſtabiles atque firmas opes animum aduerte: ne hiſce per terrenam ſpecũ volitantibus vm[...]ris incumbe. ad illã amplitudinẽ contende; ne terræ anguſtos limites intuere. [...]i ſis mẽte, vbi animo futurus es & corpore, vbi plenã cum Chriſto habiturus, & æternã felicitatem.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.



EQVVM eſt, Pater Beatiſsime, Chriſti populum Sanctiſsimæ Trinitatis arcana diuinitus edoctum, feſtum atque ſolēnem habere diem inſtitutum, quo tres hypoſtaſes in ſingularis vnitate naturæ ſacro ritu antiquæ religionis, & publica confeſsione quotannis veneretur. Dum enim cæteri mortales, tetris inſcitiæ nubibus circumfuſi, quaſi abyſsi facies, obducta tenebris caligine cæca opprimuntur, vni nos, qui Chriſtiano nomine cenſemur, tanti myſterij participes effecti, ea mente voluimus, quę nec ſuperę illæ puræ, & ab omni concretione ſeparatę mentes, niſi Diuina ope patefacta, conſequi potuerunt. Multa quidem antiquitus gentes exterę ſcriptis mandarunt, ex Hebræorum hauſta monumentis, quibus trina Dei videtur hypoſtaſis adumbrata. Deus etiam immortalis perpaucas rerum diuinarum intelligentias ex parte ijs aliquando enudauit, vt Theologia omnis litteris conſignata, quaſi muſicum Inſtrumentum vario chordarū genere inſtructum, ſuauiorem, & ob complexum Peregrini concentus harmoniam redderet pleniorem. Cęterum, quæ illi ab Hebręis accepere, eorum ſententiam minime aſſecuti, ad fabulas, & figmentorum inuolucra traduxerunt, vt olim Palęſtini inuidia ducti mundos Abrahę puteos, humo iniecta, obſtruxerunt: & ſi quo lucis radio Dominus ex immenſis illis, quibus à nobis diſiunctus eſt tenebris, vnquam eis illuxit, non tam illorum mentes illuſtrauit, quàm copioſo lumine perſtrinxit, & poſt abſceſſum lucis, in maiori quodam horrore dimiſit; non ſecus, ac fulgur, nubibus obſcura nocte diſruptis, repentina coruſcatione, oculos hebetat, atque tenebras relinquit quodam modo craſsiores. nobis ergò datum eſt confertim ex affluentiſsimis Scripturę ſacrę riuis puros haurire latices, ſitimque veritatis explere. nobis, percuſſa in deſerto petra, ſalutares aquæ fluxerunt. nobis, percuſſo paſtore, Chriſto, inquam, in crucem acto, noui teſtamenti fontes apparuere, aquę illius vena diducta, quę diuino mixta ſanguine, ex eius latere manauit. nobis denique fidei ductu, in penitiſsimum illum patris ſinum deuenire, ibique filium in æternitate genitum, & Spiritum ſanctum ab vtroque prodeuntem, atque nexu indiſſolubili vtrumque connectentem, quaſi per ſpeculum, in ænigmate contēplari licet. Sed beneficiū hoc non omnes agnoſcunt, nec quę de ęterna illa, beata, rerumq. omnium effectrice triade Chriſtus enuntiauit, admittunt. negant verbū natura Dei filium, patri coęternum, & eiuſdē cum illo perfectionis. O ingratas redemptori noſtro creaturas. O ſceleratos diuinitatis expenſores. Chriſtus Dominus vnde originem ducat, cuius naturę exiſtat, clarius declarauit, quam ab iſtis doctrinæ ſanæ euerſoribus queat in dubitationem adduci. *Ego (inquit) ex Deo proceſſi, exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem*; quā ergò fronte effrontes iſti abnegatores Euangelij eum infitiantur ortum à patre? Sed, & Sapiens candorem eum appellat lucis ęternę, & ſpeculum ſine macula. vt multo minus Deus ſine filio, quàm lux ſine candore, vel momento tēporis poſſit exſiſtere. Filius etiam ſapientia eſt ęterni patris. numquid igitur

ſempiter-

ſempiterno tempore ſine filio pater potuit exiſtere ? an non excordes iſti homines, atque demẽtati, Deum faciunt ęterno tempore inſipientem, innumeris deinde ſæculis deuolutis, quando ſcilicet filium, vt ipſi volunt, genuit, factum ſapientem ? & quo nam pacto patrem concipiunt ſine filio? ſi filius lumen eſt, quo ſine nihil poteſt intelligi, (*in lumine enim tuo videbimus lumen*) qui ortum filij tollunt ęternum, non poſſunt ſempiternum illud eſſe patris, quod ante filij productionem ponunt, mente concipere: lumen enim ſibi auferunt ad ęternitatis paternæ cognitionem perneceſſarium: denique, ſi nemo vadit ad patrem, niſi per filium, abnegato filio aditum ſibi pręcluſerunt deueniendi ad patrem. longè enim ſunt à luce vera, *quæ illuminat omnem hominem*, & in clariſsimo ſplendore tenebras ſectantur, ſeſeque reddunt Hebręis cęcitate ſuperiores. Hi enim, cum accepiſſent Chriſtum ſe appellare Dei filium, maledici eum accuſabant, quaſi ęqualem Deo ſe faceret. Et quidem eo poſito principio, non male ad aſſertam ſibi à Chriſto diuinitatem inferebant. filius enim vt eiuſdem eſt naturę cum patre, ita ęqualis dignitatis, atque perfectionis. Quod ergò intellectum eſt ab excordibus Iudæis, id Ariani omnium væcordiſſimi, non ſunt aſſecuti; ſed parum eis fuerat cęcitate, atque ſocordia Hebręis anteire, niſi ingratitudine, atque grauiſsimo proditionis crimine eiſdem anteuertiſſent. prodidit enim Iudas diuinum verbum hominem factum, & in ſerui forma conſtitutum Iudæis: prodidit Arius, Dei filium in ſede maieſtatis poſitum, ac terrę, cęlique imperio potitum, perfidis Chriſtianis. ſeſe enim à fidei veritate ſubducere diuinitatẽ Dei filio negare, regnũ eius tetra lue falſorũ dogmatum inficere, funeſtã in Eccleſia facem diſcordiarum accendere, aduerſus publicam Chriſti ouium concordiam, ſecuritatemque coniurare, inconſutilem illam Chriſti veſtem, cui etiam immaniſsimi carnifices pepercerunt, in infinitas partes ſcindere, terram, quæ ab Eccleſię primordijs labij erat vnius, & ſermonum eorumdem, cum idem omnes ſaperent, & loquerentur, immiſſa dogmatum quaſi linguarum varietate, confundere, fideles, quorum erat *cor vnum, & anima vna*, in varias ſectas valdè diſſectas diſtrahere, hęc, & alia ſceleratè admittere, Chriſtum prodere eſt, Chriſtum nouis vulneribus afficere. vt mirum non ſit, Iudam, & Arium, inſignes verbi diuini proditores, Dæmonis organa, atq. mancipia, huc, illucque raptata, atque rotata, vt erant ferè pares in crimine, ſic diſruptos effuſis viſceribus crepuiſſe medios, pareſque patrati ſceleris pœnas dediſſe. Et quamuis longè, latèque hęreſis iſta propagines extendiſſet, ac orbem complexa locũ fere nullum ſanctę Triadis pręconibus tutũ reliquiſſet, altiuſque omnino radices olim immiſiſſet, quàm vt facile conuelli poſſe videretur, breui tamen veritas emicuit, & orbis, excuſſo Arianorum iugo, vt quondam terra depoſito aquæ pondere, reſpirauit. Proh Deum immortalem, quot nam illi tormẽta orthodoxis hominibus ingeſſere? quot martyres gladio cæſi? quot ſecuri percuſsi? quot igne abſumpti? quot equuleis exanimati, quod Arianorum deliramenta illa plena vertiginis auerſarentur? quod præclaram religionis hereditatem à maioribus acceptam retinerent? quod filium germen patris, & cum patre rerum omnium principium, eumdemque carne ſuſcepta voluntatis paternæ executorem, & magni conſilij angelum pleno ore prædicarent? quot linguis mutilati, ne inuiſa illa ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis voce, Trinitas in vnitate adoranda, impiorum aures diutius perſonarent? Fecit id Honorius Vandalorũ princeps, homo ſceleratus, & peſte infectus Aria-

na, in

na, in Libya, multisque linguas ad imum secuit, auulsitque, arbitratus ea carnificina Sacrosanctæ Trinitatis confessoribus perpetuum fore silentium imponendum: sed nihil valent cõtra Dei sapientiam vafra, & iniqua mortalium consilia. ij enim, linguis radicitus è gutture excisis, loquebantur tamen rectè, & articulate, quorum permultos sese Constantinopoli vidisse, audisseque clarè, & distinctè locutos testatur Procopius eorum temporum scriptor fidelissimus: mentionemque eius miraculi in edicto Iustiniani factam Euagrius litteris consignauit. O rem inauditam, P. Amplissimi. ò grauissimum veritatis testimonium. homines elingues linguę munere minime caruisse. quis non intelligat haud potuisse prohiberi Sanctissimæ Trinitatis præconium? indignum fuisse, verborum exprimendorum facultate priuari eos, qui diuinum verbum carnem factum profuso sanguine constantissimè tuebantur? Sed non omnibus insigne illud martyrij donum diù mansit integrum. Vnus enim & alter ex ea multitudine cum ad muliebres complexus animum appulissent, vt primùm ea de re agere cœperunt, continuo in omnem vitam obmutuere. neque enim par erat, homines pollutos, voluptatumque lenocinijs captos, clarissimum illud diuinæ potentiæ monumentum in ea fœditate circumferre. mihi verò, tot culpis inquinato, tanta delictorum mole oppresso, quis nam erit animus gerendus; quod in augustissimo consessu isto, terrarum orbis longè sanctissimo, pollutis labijs, impuro corde, purissimum istud mysterium explicare ausus fuerim, & quasi contaminatis manibus attrectare? Christo, gestientem, & sese efferentem isto die lætitiam continere nequiuimus. effundimur omnes in tuas laudes, & sanctam Triadem, quoad possumus, oratione, cantuque celebramus; quotquot Romanæ Ecclesiæ gremio continemur, idem sapimus omnes, idem profitemur. Inde qui recesserunt, hodiernam lætitiam non omnes agnoscunt? Sed quousque tandem errabundi, in deuia, præruptaque ferentur? numquam ne dispersa Ecclesiæ tuæ membra in vnam coitura sunt harmoniam, &, vti Propheta tuus prædixit, non iungetur os ossi, & iunctura iuncturæ? Tu, pater æterne, cui gignendi vim nefarij isti veritatis corruptores auferre, cuius fontes vberrimos perpetuo fluentes obstruere conati sunt, tu verbum ante sæcula genitum, cui Dęmonum isti ęmulatores Diuinitatis appellationem inuiderũt; tu sanctissime Spiritus, quem à Diuinitatis communione fanatici homines, quod in ipsis fuit, seiunxere, tu, inquam, sancta, & beata Trinitas, cuius vnitatem factiosi, atque seditiosi turbarum excitatores arbitrati sunt sese conuulsuros, monstra ista, atque portenta, diutius inter nos agere, nobile amoris, & beneuolentiæ legatum, testamento nobis à Christo relictum, extorquere, ore sacrilego in te maledicta conijcere non sinas: sed ijs ad veritatem adductis, illud vno ore omnes communicata lætitia exclamare velis; Benedicta sit sancta Trinitas, & indiuisa vnitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, in sæcula sæculorum. Amen.

D I X I.

